

gationem vel legem. Et ideo monasteria, quæ non profitebantur clausuram, non possent proprie dici violasse illam, si ad illam non tenerentur. Quia vero ex lege Bonifacii obligabantur, ideo eorum etiam non observatio, violatio censetur, nam per violationem saltem incepit. Concilium ergo, utens illa disjunctione, satis distincte voluit constitutionem Bonifacii in sua universalitate restituere. Quod etiam in ultimis verbis, per quæ revocat indulta, hoc satis declaravit, ut statim exponam. Et clarissime, in cap. 22 ejusdem sessionis, explicuit omnia et singula decreta de monialibus edita, intelligi de monasteriis quarumcumque monialium, virginum ac viduarum, quocumque nomine appellentur, etiamsi vivant sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanæ, sub quacumque regula, etc.; quæ ibi videri possunt, et amplissima sunt, et æque ampliant hoc decretum de clausura, ac si in illo specificè addita essent, licet in finem sint reservata, ne sæpius illa repetere esset necesse. Non est ergo dubium quin hæc fuerit mens Concilii; et ita etiam supponunt evidenter Pius V et Gregorius XIII, in decretis infra citandis, ac prorsus in praxi servari vidimus et statui Salmanticæ in Concilio Compostellano, anno 1566. Tradit denique Navarrus, in Comment. 4, de Regularib., num. 4, et late, et docte Emmanuel Rodriguez, tom. 1 Quæstionum regular., quæst. 44, art. 2. Habet autem speciale difficultatem, an conversæ sub hac generalitate comprehendantur, de quo dicemus melius post sequens punctum, in numero decimo septimo.

15. Ultimo, commune est utrique decreto, ut non comprehendant nisi moniales professas; ita docent omnes, et explicuit Congregatio Cardinalium circa Concilium Tridentinum, agens de monialibus Tertiariis, seu de Pœnitentia, quas si professionem emisissent, dicit cogendas esse ad clausuram; si vero professionem non emisissent, servandam esse constitutionem Pii V, *Circa Pastoralis officii*, quæ est 8 in Bullario Romano, ubi dicit, hujusmodi feminas monendas esse a Prælatiis, ut professionem emittant, et postea clausuram servent; quod si induci non potuerint ad professionem emittendam, prohibeantur ne in posterum alias in suam congregationem recipiant. In qua constitutione manifeste etiam supponitur, eas omnes, quæ in religione approbata tria vota substantialia non emisissent, hac lege non comprehendendi. Ratio autem imprimis est, quia dicta jura expresse limitant

suum præceptum ad professas tacite vel expresse, et hujus limitationis ratio fuit, quia illæ sunt tantum propriæ religiosæ, et Ecclesia solum pro religiosis feminis hanc curam clausuræ adhibuit. Quapropter, quantumvis virgines sint per votum virginitatis consecratæ Deo, et collegialiter vivant, et sub obedientia vel spontanea, vel etiam privato voto aut pacto promissa, si non habent statum ab Ecclesia pro religioso approbatum, et in eorum tria vota substantialia emisissent, non obligantur hoc præcepto clausuræ, licet circa eas observanda sit constitutio Pii V, et ita in specie de quadam congregatione feminarum resolvit Navarrus, cons. 6, de Statu monach.

16. *An novitia, interrumpens clausuram, interrumpat etiam novitiatum.* — Ex quibus infertur primo, novitias non obligari hac lege, quia religiosæ non sunt. Solum potest dubitari an, si novitia semel exeat a monasterio, eo ipso desinat esse monialis eo modo quo antea erat, id est, desinat esse novitia, et consequenter interrumpat novitiatum. In quo breviter certum mihi est, si exeat sine licentia Abbatissæ, interrumpi annum, et consequenter amittere priorem qualemcumque statum, etiamsi habitum non exuat, ut a fortiori patet ex dictis tomo superiori de anno probationis in genere. Si autem exeat cum licentia Abbatissæ, vel superiorum monasterii, ad quos hoc pertinet, et ex justa causa data, certum est et licere, et non interrumpere novitiatum. Ita enim intelligo quoddam responsum Congregationis Cardinalium, si novitia, morbi curandi causa, de licentia Superiorum, et cum eo habitu qui ipsis videbitur, ante professionem exeat, et postea sanitate recuperata, redire voluerit, posse et ad habitum et ad professionem recipi. Intelligo enim sensum esse, posse recipi eodem tempore et modo ac si intra monasterium suam probationem continue peregisset; quia non intelligitur eam interrupisse, sub eadem semper obedientia vivens, et habitum non temere dimittens. Alioquin si novus annus esset necessarius, nihil deserviret declaratio; nam, licet dimisset omnino religionem et habitum, volens reverti, posset recipi ad habitum, et perseverando in novitiatu, etiam ad professionem. At vero si egressus novitiæ sit de licentia Abbatissæ, male tamen concessa, res videtur dubia, quia perinde videtur exire cum tali licentia ac sine ulla; quia illa licentia nulla est, cum Abbatissa non possit illam dare; et idem dicam de Prælato, si absque causa legi-

tima illam det. Nihilominus censeo per talem exitum non interrumpi seu amitti novitiatum, quia nulla est lex quæ irritet illum. Imo, neque invenio legem juris communis quæ prohibeat directe hujusmodi exitum, aut Abbatissis ne possint hanc licentiam dare, sed ex regulis et prohibitionibus Superiorum hoc pendet; et ideo, nisi expresse declaratum sit in aliquo monasterio, illam continuationem clausuræ esse de substantia novitiatum, nulla ratione dici potest per illum exitum interrumpi. Estque clara differentia inter illum exitum, ab eo qui est sine licentia; nam quando est sine licentia, est quædam retrocessio ab obedientia, et consequenter ab unione cum tali monasterio; quando autem fit cum licentia, semper retinetur unio et permanentia in eadem religione quantum ad illum gradum; ad quod facere possunt quæ tractat Navar., consil. 32, de Regularibus.

17. Secundo ex dictis resolvitur dubium supra, in fine num. 14, relictum, de monialibus conversis, utrum ad clausuram teneantur; nam si professionem trium votorum non emittunt, non tenentur ad clausuram, quia non comprehenduntur sub illa lege, et alio titulo non tenentur; suppono enim illam non vovere nec promittere. Si autem emittunt tria vota, ad illam obligantur ex vi hujus decreti, ut satis patet ex dictis; et quia in substantia religionis non possunt differre hæc conversæ ab aliis, sed solum in ministerio; quia conversæ dicuntur, quæ deputantur ad servitia seu ministeria corporalia, aliæ vero ad chorum; unde etiam differunt in habitu, saltem quoad hoc quod conversæ non deferunt nigrum velum sicut aliæ; unde etiam inferiores sunt in quodam gradu honoris, seu dignitatis, per quæ omnia non minuitur earum religio, sed augeri potest; et ideo nec clausuræ obligatio minor in eis esse debet. Dixi autem, *ex vi illorum decretorum*, quia Pius V, in sua constitutione 8, *Circa pastoralis*, quamdam in hoc limitationem seu exceptionem permisit, scilicet, ut in monasteriis quæ ad suam sustentationem indigent elemosynis fidelium, quæ per conversas colligendæ sunt, si illæ fuerint professæ, possint extra monasterium degere cum his conditionibus. Prima, ut sint ætatis annorum 40; secunda, ut in domo contigua monasterio degant; tertia, ut non ingrediantur clausuram monialium, nisi in casibus in suis constitutionibus expressis; quarta, ut de suis domibus non exeant ad colligendas elemosynas, nisi de licentia Ordinarii et Super-

riorum. Gregorius autem XIII, in constit. 13, *Deo sacris*, cupiens hanc exceptionem auferri, injungit Ordinariis ut, quacumque ratione cognoverint posse convenienter conventuum moniales sustentari sine hac elemosynarum collectione, easdem conversas sub eadem clausura cum aliis monialibus reducant, neque amplius a suis monasteriis exire permittant.

18. *Dubium bipartitum circa conversarum professionem et clausuram.* — *Prima dubii pars.* — *Secunda pars.* — Duo autem ex illis constitutionibus circa has conversas oriuntur dubia. Primum est, an possint jam veram professionem emittere, et ad clausuram obligari. Nam Pius, post superiora verba, subjungit: *Et de cætero nullæ aliæ professæ conversæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum vel Prælatorum possint; quod si adversus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, et inanis sit, prout ex nunc nullam ac irritam facimus et annullamus.* Responderi potest, Pontificem prohibere ut non recipiantur conversæ professæ, quæ extra monasterium maneat, sed ut, finitis illis quæ tunc erant, collectio fieret per conversas non professas. Sed obstat, quia Gregorius XIII contrario potius modo declarat illam prohibitionem, dicens: *Quod autem idem Pius statuit de cætero nullas alias conversas professas recipi amplius posse, ita esse intelligendum declaramus, præter illas conversas, quæ extra monasterium domibus contiguis degerent.* In quo potius significat illas recipi posse, non vero alias, quæ intra monasterium degant; quod videtur incredibile, ut statim dicam. Secundum dubium est, an possint nunc in monasteriis esse conversæ non professæ. Nam Gregorius expresse dicit: *Conversas vero non professas, et prostiteri nolentes, dimisso habitu, domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras, in monasteria hujusmodi recipi permittant.* In contrarium vero est, quia hæc prohibitio videtur priori prohibitioni repugnare, vel ex utraque sequi nullas conversas esse posse in monasteriis monialium, quod admitti non potest.

19. *Opinio Navarri ad hoc dubium, non posse nunc dari in monasteriis conversas professas.* — Circa hoc dubium, Navarrus, comment. 4, de Regularibus, num. 56, existimat prohibitum esse monialibus recipere conversas quæ professionem emittant, et intra mo-

nasteria maneant; et quod amplius est, dicit consuluisse de hac re Gregorium XIII, et ipsum ita interpretatum esse mentem Pii V et suam. Verumtamen de interpretatione viva voce data ab ipso Gregorio XIII mihi non ita constat, ut teneat illi nunc adherere. Nam, licet certo credam Navarrum veritatem referre, nescio tamen an satis verba Gregorii pereperit aut intellexerit. Mihi tamen persuadere non possum dictos Pontifices id prohibuisse. Primo, propter rationes optimas quas idem Navarrus adducit, ut verisimilis non sit talis prohibitio, quia nullo titulo necessaria aut utilis vel conveniens apparet: neque per sese ad statum religiosum vel perfectionem ejus; cur enim hoc magis pertinet ad perfectionem monialium quam monachorum, qui ubique habent conversos professos, seu veros religiosos, etiamsi maximam perfectionem et rigorem vitæ profiteantur? Neque ad finem clausuræ quam in illis indultis præcipue intendunt dicti Pontifices, et ubi solum ea occasione aliquid de his conversis statuunt; si autem illæ ad perpetuam clausuram obligantur, quid potest nocere clausuræ earum professio? Aliunde verò earum auxilium est moraliter necessarium cæteris monialibus, quæ proprie monachæ vocantur, et divinis officiis magis vacare debent, et multo majus inconueniens esset recipere intra clausuram conversas, quæ nunquam profiteantur. Accedit præterea, quod per talem prohibitionem impediretur status perfectionis multis pauperioribus feminis, quæ ad gradum monacharum recipi non possunt. Esset denique talis prohibitio contra receptam et fere universalem consuetudinem, quam verisimile non est voluisse dictos Pontifices abrogare sine urgentissima causa, quæ hic non apparet; nam ita postulat æquitas legis humanæ ecclesiasticæ, præsertim cum illa consuetudo honesta et sancta videatur.

20. Secundo moveor propter expressa verba Gregorii XIII, præipientis conversas non profensas in monasteriis tunc repertas, aut profiteri, aut abire, neque alias (inquit) in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque in perpetua clausura mansuras, in monasterio hujusmodi recipi permittant. Ex quibus verbis evidenter constat ipsum non simpliciter prohibuisse receptionem conversarum, tantumque abesse ut professionem vetuerit, quod potius hanc posuit tanquam conditionem necessariam, ut conversæ admittantur, cum qua expresse voluit ut per-

mittantur. Quorum verborum vis non latuit Navarrum, nihil tamen ad illa respondet, nec declarat quomodo potuerit Gregorius XIII sine expressa contradictione mentem suam aliter viva voce declarare.

21. *Satisfit motivo Navarri in n. 49.* — Tertio declaratur exponendo mentem utriusque Pontificis. Nam Pius V proxime locutus fuerat de conversis destinatis ad eleemosynas colligendas, easque permiserat extra monasterium in propinquis domibus habitare, et statim subdit: *Et de cætero nullæ aliæ professæ conversæ recipi amplius, etiam consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint; irritatque receptionem et professionem.* Et prosequitur deinde: *Quod si prædicto modo necessitatibus monialium, etc.*; ergo manifeste loquitur de conversis degentibus extra monasterium, et illas tantum refert, cum ait, *nullæ aliæ*; nam contextus ipse et connexio antecedentium cum consequentibus plane id ostendit. Gregorius autem XIII, volens dispositionem Pii vel declarare, vel limitare, de conversis intra et extra monasterium degentibus distincte loquitur. Et primum vult omnes conversas profensas reduci ad clausuram monasterii, quoad fieri possit. Secundo, vult ut intra monasteria nullæ sint conversæ non professæ. Tertio, voluit ut conversæ professæ intra monasterium et tunc esse, et in futurum recipi, et denuo profiteri possint. Quarto, permisit ut præter conversas intra manentes, si necessitas eleemosynarum daret, possint ad hoc ministerium extra monasterium in domibus propinquis hujusmodi conversæ professæ habitare, et in futurum etiam ad hoc recipi. Quinto, prohibuit ne plures hujusmodi recipi possent, quam ad hoc ministerium eleemosynarum essent necessaria, et ita dicit esse intelligendum quod Pius V dixit, *nullas alias in posterum recipi posse*, scilicet, nullas alias, præter eas quæ propter ministerium eleemosynarum necessariae sunt, et in propinquis domibus habitent. Difficile autem creditu est hanc fuisse mentem Pii V, nam proxime post illam prohibitionem subdit: *Quod si prædicto modo necessitatibus monialium succurri sufficienter non poterit, mandamus superioribus, ut ipsi provideant de aliis personis piis, et Deo devotis, quæ fidelium eleemosynas colligant.* Quod remedium necessarium non esset, nisi mens ejus fuisset, ut collectio amplius non fieret per conversas denuo ad professionem receptas. Nec Gregorius dixit aliam fuisse men-

tem Pii V, sed voluit illam ex parte mutare, concedens ut ubi necessaria fuerit hæc collectio, possint aliquæ conversæ ad professionem recipi propter illud ministerium; quia, servatis circumstantiis a Pio V positis, videtur moraliter fieri posse sine inconvenienti, et sperari quod per eas ministerium fidelius et diligentius fiat. Denique neuter ex dictis Pontificibus disponit, an possint monasteria monialium habere aliquas conversas, seu oblatas non profensas, quæ extra septa monasterii in domibus propinquis degant. Tamen, eo ipso quod hoc non prohibent, relinquuntur hoc juri communi, vel naturali, aut speciali uniuscujusque religionis; constat autem ex natura rei hoc non esse malum, sed posse esse religiosum et sanctum, sicut est in religionibus virorum; neque etiam invenio decretum aliquod juris communis quod hoc prohibeat. Relinquendum ergo est juri religionis, vel receptæ consuetudini, dummodo his conversis ingressus ad monasterium non pateat, nisi juxta dicenda in cap. 10, circa alteram partem hujus clausuræ, ad quam hæc obligatio pertinet. Et hæc de conversis.

22. *In quo decretum Concilii sit strictius, quam Bonifacii.* — Præter dicta autem de clausura, Concilium Tridentinum addit revocationem privilegiorum, dicens: *Indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus.* Et in cap. 22, fit amplior magisque specifica revocatio: *Non obstantibus eorum (id est, regularium) omnium et singulorum privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon constitutionibus et regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus.* Quæ tota revocatio ad prædictam legem applicanda est; nam idem Concilium ait, cadere in omnia præcedentia et singulas ejus partes; ergo maxime in hanc, quæ est una ex principalioribus partibus. Et quoad hanc partem est rigorosior hæc lex Concilii quam fuerat Bonifacii. Nam ille nullam expressam revocationem privilegiorum vel consuetudinum addidit, et ideo, licet ex universalitate et exaggeratione verborum, et ex circumstantiis litteræ posset fortasse colligi, non tamen ita clare et aperte, præsertim ad revocandas immemorabiles consuetudines, vel specialia privilegia, præsertim in ipsamet fundatione monasteriorum obtenta; quia juxta commune jus, lex non solet hujusmodi derogare, nisi satis expresse id declaretur, juxta cap. 1 de

Constit., in 6. Nunc vero per hoc decretum, ut latum est a Concilio Tridentino, certum est nullum genus privilegii vel consuetudinis posse impedire hanc obligationem.

23. Ex his ergo satis declarata sunt tria puncta supra, num. 10, proposita, scilicet hanc obligationem omnibus et solis monialibus professis esse impositam, et oriri, non quidem ex voto generatim loquendo, sed ex præcepto ecclesiastico jam a nobis declarato. Dico, *generatim loquendo*, quia aliquæ moniales, ut S. Claræ, et fortasse aliæ, emittunt hoc votum, in quibus additur (ut sic dicam) obligatio intensiva, non extensiva, quia hæc revera non potest esse major. Nam quoad personas hoc præceptum extenditur ad omnes religiosas, ut dictum est; quoad locum seu actum prohibet omnem exitum extra claustrum, etiam ad ecclesiam quam seculares intrant, et extra januam clausuræ, etiamsi sit intra aliam, quæ patere solet secularibus, ut Gregorius XIII, in suo Motu, distinctius præcepit, et Navarrus, dict. Comment. 4, num. 57, declaravit. Quoad tempus vero seu occasiones exeundi, comprehendit omnes, tantum necessariis exceptionibus adhibitis, ut mox declarabimus. Non potest ergo esse major extensio hujus obligationis. Non cogit autem præceptum hoc moniales ut votum clausuræ emittant, quia neque in aliqua constitutione hoc declaratur, neque sub hac ratione receptum est illud præceptum, sicut contingit in continentia clericorum; et ideo non est quod hanc obligationem imponamus. Et ita etiam patet quam rigorosa sit hæc obligatio.

CAPUT IX.

QUIS POSSIT IN PRÆDICTA CLAUSURA MONIALIUM DISPENSARE.

1. Ut ultimum punctum ex propositis in cap. præcedenti, num. 10, expediatur, oportet explicare moderationem quam Concilium Tridentinum addidit huic præcepto, *nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbata*, per quam temperatur, ut eodem cap., n. 13, dicebamus, rigor præcepti Bonifacii. Quia (ut ibi notavi) absolutam reliquit prohibitionem, et unicam exceptionem addidit, per quam magis videbatur coarctari generalis prohibitio. Quod fecit consultissime Concilium, ut facilius possent moniales induci ad servandum præceptum quod tanto tempore recusaverant. Circa illam vero moderationem non-